Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 841
Quelle:
Copyright:

nardianus edit. *Opp. Paris.* 1690. T. V. p. 735. praefixa hac crisi *Mabillonii: Non est Bernardi Episcopos universosque Praelatos* fratres *appellare, quanto minus* diabolos &c. ut fit in isthoc *Sermone.* Quoniam vero in editione illa *Praefatio* deest, eam hic adtexam. *Rogasti me iam sepius o cultor pauperum christi deuotissime quatenus sermonem Bernhardi abbatis clareuallensis in concilio remensi ad episcopos habitum litteris demandatum tibi transmitterem quod ualde difficile immo impossibile pene mihi uidetur. eo quod non solum ante tot annos. uerum ab heri et nudius tercius audita si arcius memorię non recondantur. facillime obliuioni tradantur. Quindecim quippe anni transacti sunt. ex quo synodus illa habita est.* (Habita est anno 1148. anno itaque 1163. haec scripta sunt) *Sed quia deuictus tua fide que per dilectionem iam frequenter bonum operata est in me negare nequeo quidquid postulaueris. rogo te per caritatem christi ne me ista dictasse sinceritati tuę prodas. neque commendatum tibi sermonem alieno uel inuido communices. quia non uerbum ex uerbo uti tunc in sermone isto prolata sunt. sed seriem materiei vix tenere potui. Itaque cum consedisset sacer ille conuentus. et ut uerum fatear pre multitudine archiepiscoporum. episcoporum. abbatum. prepositorum. et aliorum clericorum pene innumerabilis. stans supra memoratus abbas a dextris papę uenerandi eugenii indicto silentio sic exorsus est.*

CCXLIV. VII C. 25.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 207. f. per duas columnas scriptus complectitur sequentia: I. Commentaria D. *Hieronymi* in *Jeremiam* hac inscriptione miniata: *Incipit Prologus beati Jeronimi presbiteri ad eusebium In explanationem Iheremie prophete. Post explanationem duodecim prophetarum* &c. Finis: *Dedit dona hominibus.* Legitur T. IV. *Opp.* edit. *Vallars. col.* 833. 182

II. *fol.* 98. *Incipit explanacio in lamentationes ieremie prophete. Liber I. de primo alphabeto et secundo per Jeronimum.* Initium Praefationis: *Habes in lamentationibus ieremie quatuor alphabeta* &c. usque ad illa verba: *per quem uenitur ad regnum sempiternum,* excerptum est ex *Hieronymi* epistola ad *Paulam*, quae habetur edit. *supracit.* T. I. *col.* 144. et totus hic Tractatus libris III. constans, *Hieronymo*que falso adscriptus extat inter Suppositicia T. V. edit. *Maur. col.* 801.

III. *fol.* 121. p. 2. absque titulo sequitur *Hieronymi Explanatio in Danielem.* Praefatio incipit: *Contra prophetam Danielem duodecimum librum scribit Porphirius* &c. Ultima Commentarii, qui edit. *Vallars.* T. V. *col.* 617. legitur, verba sunt: *quid ei respondere debeamus.*

IV. *fol.* 157. Commentaria in *Cantica Canticorum* absque titulo. Initium Prooemii: *Donum sapientie cum Salomone poscente a vero pacifico postulata consequi* &c.